



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 90118286

§. 8. Initia Joannis Hussi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

Sæcul. XV. puerum recens natum, non esse bapti-
A. C. 1401. zandum per manus Sacerdotum, ne in-
 fans iste, utpote altera Trinitas, & nul-
 lo coinquinatus peccato, pejor evaderet,
 si deveniret in Presbyterorum manus;
 Nullam diem, nequidem ipsam Domini-
 cam ceteris magis sanctam esse; In or-
 dine ad laborandum, manducandum aut
 bibendum omnes dies æqualis reputari
 libertatis; Post hanc vitam nullum dari
 purgatorium; Ad expianda peccata nul-
 lam aliam requiri poenitentiam, quam ut
 homines crimina deferrent, & de iis
 poeniterent.

§. VIII.

Initia Joannis Hussi.

Tritk. chron. **E**rrores isti in Bohemiam usque pene-
an. 1401. trantes, opitulante Joanne Hussi, cu-
Cochl. Hist. jus historiam impræsentiarum exordimur,
Hussit. in hoc regno non modicos nacti sunt
 progressus. Joannes Hussus, alias Hus-
 finetz, a quodam Bohemiæ oppido, in
 quo natus erat, nomen traxit, nam no-
 men suum a nativitatis loco mutuare, il-
 lius ævi consuetudo ferebat. Illum ma-
 jore ingenii subtilitate, quam oris elo-
 quentia præditum fuisse referunt. Ast
 morum suorum severitas, vitæ rigor,
 facies pallida atque extenuata, comitas-
 que sermonis non paucos ei conciliavit
 secta-

sectatores. Quia vero nil magis Viri in-
 dolem detegit, quam ipsius scripta; hinc
 vel maxime etiam ex libris Joannis Husfi
 proditur immanis illius rabies adversus
 Ecclesiam, & generatim contra omnes
 Clericos, præcipue contra Judices eccle-
 siasticos, quamvis cæteroquin sua di-
 ctione ingentem mentis simplicitatem, &
 cordis candorem simulasset. Hic, cum
 non mediocri polleret ingenii acie, & ter-
 so ac expedito uteretur sermone, in A-
 cademia Pragensi, quæ tunc temporis
 florentissima erat, sua mentis perspicaci-
 tate magnum sibi nomen peperit. Ex-
 orta enim in hac Universitate quadam
 dissensione, Wenceslaus Rex contra Teu-
 tones Doctores decretum edidit, quo in
 patriam reverti juberentur, qua rerum
 vicissitudine non parum Joannis Husfi
 existimatio augebatur. Quare omnes
 honorum gradus conscendit, si Doctora-
 tus Lauream exceperis; hac enim un-
 quam eum insignitum fuisse haud constat.
 Creatus fuerat artium liberalium Ma-
 gister & anno millesimo trecentesimo no-
 nagesimo tertio Theologiæ Baccalaureus;
 anno vero sequenti Decanus facultatis
 Philosophicæ, demum anno salutis mil-
 lesimo quadringentesimo nono Rector
 magnificus salutatur. Ipso anno millesi-
 mo quadringentesimo Sophiæ de Bava-
 ria, Bohemorum Reginae & Wenceslai
 Conjugi

Sæcul. XV.

A.C. 1401.

Æn. Sylv.
hist. Bohem.
 cap. 35. &
 epist. 130.

Sæcul. XV. A.C. 1401. Conjugi a confessionibus fuit, apud quam, ut fertur, multum auctoritate ac gratia valebat. Paucis post tempore prædices quidam Cives Pragenfis ibidem Ecclesiam sub nomine Bethleem suo ære condidit, cujus Parochus destinabatur Joannes Hussus, qui suis sermonibus, & catecheticis instructionibus ad vulgus habitis in lingua Bohema (quæ a Sclavonica derivatur) vel maxime se commendabat. In dicta Ecclesia contra Indulgentias libere ad populum dicere cœperat, illo fultus decreto, quo Sigismundus, qui se tunc Bohemiæ Rectorem dicebat, ac contra Bonifacium Ladislai fautorem non modice exacerbatus erat, quascunque demum pecunias in regno colligere, ac transmittere Romam prohibuit. Joannes Hussus hac Regis indignatione in rem suam uti haud neglexit, cui etiam minime incognitum erat, Wenceslaum propter sui depositionem consensu Pontificis firmatam, Bonifacio infensum, haud indignanti animo sacrilegos ejusmodi sermones laturum; accessit quoque funestum inter Pontifices schisma, quod Hussus talia impune effutiendi licentiam tribuebat.